

P R Æ F A T I O.

æquari meretur: Dissensio sententiarum concordiam non turbabit eo ipso, quia libera erit. Suam enim quisque liberam sibi esse cupit pari jure. Et cum rationibus utrimque nitatur, rationibus ut tollatur necesse est. Si consensionem vi extorqueamus ab alijs, ut eam alij à nobis vicissim per vim extorqueant, jus damus. Et, sive ab istis, sive à nobis consensio vi extorqueatur, utique ea non est concordia rationalis, sed irrationalis servitus. Nec Religio laborat, si libera urgeatur consensio; sed contrà, si libera non urgetur consensio, aut laborat Religio sub ignorantia jugo, aut sub hypocriseos larva latet. Medium non datur. Religio non est religio, quæ à libero animo non proficiscitur. Liber animus non est, ubi aut judicia sunt legi humanæ serviliter adstricta, aut alterius arbitrio per vim obstricta. Deus tum colitur, non quia eum colendum esse animus noster dicit, sed quia colere cogitur. At religio non est, à qua animus aut abest, aut aversus est. Nec à diversitate aut multitudinem dissentientium, periculum regnis ac Rebuspub. imminet. Commune libertatis privilegium, regnorum ac Rebuspub. columen est. Ita censuit, ita statuit melior Antiquitas. Et floruerunt olim hodieque ad huc florent non pauca regna sub auspicijs huius libertatis. Unde hæc libertas proscripta est, ibi quot Christianos, totidem videre est aut bruta pecora, aut ingenia alienæ libidini, serviliter mancipata: Solum Pontificium atq; hispanum regnum videte, Iumenta ibi sunt, non homines. Quicquid imponitur, id portat vulgus, ut asinus Iudis sacra. Nec magis intelligit, quid sit Religio, quam mulus aut equus; Nec mirum: Cæca obedientia & tantum non stupor ibi encomium est Christiani populi, & bubalorum instar naso circumduci in omnem partem ad superstitionem usque, hoc ibi est, Christianum esse. Ire qua itur, non qua eundem est, hoc vulgi gloria est, & Christiani obsequij laudem habet ac meritum.

Qui supra hos sapiunt, ij amant quidem judiciorum libertatem

tem